

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

442

440

446

lapides pretiosi. Ibi est cornu unum unicornis pretiosissimum, et
multa alia. Sed et dux ipse thesaurum habet, quem ostendunt
pro tempore camerarii ejus, de vasis ultra aestimationem pretiosis.

436

451

Abundantia omnium rerum.

431

Octavum, quod Venetias nobilitat, est omnium rerum abundantia, quae ad vitam humanam spectant. Cum enim non sint ibi agri nec campi nec silvae nec montes nec valles nec vineae nec pascua pro bestiis nec currus nec bigae, nihilominus tamen tanta est ibi copia omnium desiderabilium pro ventris voluptate, sicut numquam vidi in aliqua civitate. Non est ibi rerum mensura, quae omni hora advehuntur, et omne forum repletum rebus. Sunt autem multae plateae et fori lati, in quibus semper est concursus, ac si essent (220 a) nundinae annuales. Nec est ibi forum hebdomadale, sed cottidianum. De magnis taceo et de minimo dico, quod in foro S. Marci est tanta copia olerum ad salutucium duntaxat, quod mirabile est videre, ubi crescat aut quis consumat. Sic de piscibus, avibus, carnibus, fructibus et caeteris, quae omnia indefectibiliter semper venalia reperiuntur paene in omnibus vicis et plateis, singulariter tamen apud S. Marcum et in ponte et platea Rivoalti. Omnia autem Veneti nummo comparant, etiam potum aquae. Licet enim cisterne multae sint ibi, non tamen sufficit aqua pluvialis pro potu tantae multitudinis. Ideo communiter sunt putei clausi seris, et si non sunt, statim evacuantur, nam tot pauperes ibi hauriunt, ac si esset vinum commune. Aqua dulcis in magnis navibus quasi repletis in Brenta fluvio in Venetias ducitur et venditur. Emtam autem aquam dimittunt de navibus currere in curiam emtoris, et terrae immersa recolligitur in cisternam, in qua et sub terra distillat et colatur. Magnam pecuniam Veneti per annum solvunt pro aqua, quamvis sint in medio aquarum, quae tamen nec ad potum nec ad loturam utiles sunt.

Ende

Anfang

Merces.

Nonum, nominatam reddens urbem Venetiarum, est inductio et eductio mercimoniarum continua. Est enim ibi portus maris